ANIMADVERSIONES

IN HEBRAICUM

EXODI LIBRUM

ET IN GRÆCAM

LXX. INTERPRETATIONEM.



VERONÆ, MDCCXLIV.

TYPIS SEMINARII.

Al R.mo Padre Angelo Calogerà

VIRO SUMMO

MARCHIONI

SCIPIONI MAFFEIO

JOSEPHUS TORELLIUS S. D.

NOli putare me adeo Mathematicis diſciplinis deditum eſſe, ut prima illa ſtudia prorſus abjecerim , quibus te hortatore ac duce velut innutritus , ne ſi velim quidem , carere poſſum. Juvat ſane de curvarum natura cum Archimede diſputare, ſed juvat etiam interdum ad alia tranſire , & quando in civili ſocietate vivimus , humane cum hominibus

loqui. Accedit quod me non una aut altera disciplina delectat, sed omnes fere quotcumque sunt, in quibus putem hominis ingenium exerceri posse. Una res mihi scientiam mathematicam præcipue commendavit, quod, ut ceteræ fere omnes, magnam bibliothecam non postulat, sed paucis quibusdam principiis innixa non magis in urbe quam in agris commode colitur. Vide vero quanti te faciam. Non modo in eo pulvere versor in quo tu vis, sed etiam ita versor ut tu vis. Nempe auctor mihi fuisti, ut quoniam cum græcis literis hebraicas conjunxi, Moysis Pentatheucum cum græca septuaginta Interpretum explicatione conferrem. Ego autem per hos dies fere totum excussi, ac multa observavi in quibus videtur cum illa aliquo modo componi non posse. Novi nonnullos hoc idem animadvertisse, quibus tantum laudis tribuo, quantum ducibus debetur, ac ducibus summis. Horum tamen ego nullum in consilium adhibui,

non

non quod putem quidquam novi a me afferri poſſe, ſed quod experiri velim, quid meum ingeniolum poſſit, ſi ſui juris ſit. Igitur ſic exiſtimo neque ſolos Interpretes, neque Hebræum codicem culpari oportere, ſed modo hunc, modo illos. Nam ille aliquibus in locis mendoſus eſt; iſti quandoque plus aliquanto ſibi tribuere videntur, quam interpretibus liceat. Confirmabo hoc exemplis, iiſque ex Exodo præſertim petitis, quod in eo libro paulo diligentius verſatus ſim. Atque hæc primum tibi occurrent, quæ hebraici codicis vitio minus cum græca interpretatione conveniunt.

Ex. xiv. 25. ויסר את אפן מרכבתיו h. e. *& ſubvertit rotas curruum eorum*. Habent Lxx. *καὶ συνέδησε τοὺς ἄξονας τῶν ἁρμάτων αὐτῶν*. Statim intelligis græcum verbum *συνέδησε* hebraico ויסר minime reſpondere. Quid igitur? leve mendum ſcripturæ eſſe puto, quod facillime tolli poteſt

si pro וַיִּסֹּר legatur וַיֶּאֱסֹר. Litera א, ut ceteræ quiescentes, persæpe in hebraicis dictionibus omitti solet. Vide 2. Sam. XXI. 12. ubi pro תְּלוּם scribendum est תְּלָאוּם, ut monent Masorethæ.

XXVII. 18. אֹרֶךְ הֶחָצֵר מֵאָה בָּאַמָּה. Apud LXX. τὸ δὲ μῆκος αὐλῆς ἑκατὸν ἐφ' ἑκατόν. Nisi hebraica verba mendosa sunt, codex manuscriptus Oxoniensis ceteris omnibus præferendus est, qui sic habet: τὸ δὲ μῆκος τῆς αὐλῆς ἑκατὸν πήχεων: sed ego literula transposita, punctisque leviter commutatis, legendum censeo מֵאָה בַּמֵּאָה. Quæ emendatio confirmatur iis quæ sequuntur. ורחב חמשים בחמשים. græce: καὶ εὖρος πεντήκοντα ἐπὶ πεντήκοντα. Sunt quibus Samaritici codicis auctoritas potior videtur, atque ita legunt ארך החצר מאה באמה ורחב חמשים באמה. In his est D. Hieronymus qui ita vertit. *In longitudine occupabit*

atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta.

Gen. XLIX. 5. Συμεὼν καὶ Λευὶ ἀδελφοὶ συνετέλεσαν ἀδικίαν ἐξαιρέσεως αὐτῶν. Longe aliter in codice hebraico שמעין ולוי אחים כלי חמס מכרתיהם. h. e. ex D. Hieronymi interpretatione, *Simeon & Levi vasa iniquitatis bellantia*. Utra sententia melior est? Certe τῶν ἑβδομήκοντα. Lege igitur, si placet, כִּלּוּ pro כְּלֵי quod respondet græco verbo συνετέλεσαν. Ceterum non intelligo cur τὸ מכרתיהם, quod proxime sequitur, reddiderint ἐξαιρέσεως αὐτῶν. Hoc alius viderit.

Ex. XIX. 18. ויחרד כל ההר מאד. h. e. *& obstupuit omnis mons valde*. Quid græci interpretes? καὶ ἐξέστη πᾶς ὁ λαὸς σφόδρα, *& obstupuit omnis mons valde*. Videntur pro ההר legisse העם, quod rectius est. Nam quis umquam audivit montes obstupescere? Habemus apud David: *& exultaverunt montes*, sed non eadem Historico ac Poetæ conveniunt. Illud objicis. At omnes vertunt *contremuit, commo-*

motus est, non autem *obstupuit*. Quasi vero non quid verba significent spectare debeam, sed quomodo alii verterint. חרד significat *pavere, expavescere, formidare*, nec adhibetur nisi cum de homine agitur, aut de rebus animatis. Accipe hebræorum Scriptorum consuetudinem perpetuam atque constantem. Esaias XXXII. 11. חרדו שאננות, *pavete opulentæ*. Hosea XI. 10. ויחרדו בנים מים *& formidabunt filii maris*. Gen. XXVII. 33. ויחרד יצחק חרדה גדלה, *expavitque Isaac stupore vehementi*. Job. XXXVII. 1. יחרד לבי, *expavit cor meum*. Quid plura? Afferam duo loca, quæ meam conjecturam prorsus confirmant. 1. Sam. XIII. 7. וכל העם חרדו *& omnis populus perterritus est*. Ex. XIX. 16. ויחרד כל העם אשר במחנה *& timuit omnis populus, qui erat in castris*. Satin' exemplorum? Alia multa afferre possem, si & tu plura quæreres, & ego nollem brevitati consulere. Præterea paucissimis opus est, ut cuivis persuadeam menda aliqua in hebraicum codicem

ir-

irrepere potuisse. Quid enim? Num ipsa Lxx. interpretum ætate incorruptum fuisse putas? nihil minus. Vide Genes. cap. xx. vers. 10. ubi Abimelech ad Abrahamum: מה ראית כי עשית את הדבר הזה. h. e. D. Hieronymo interprete, *quid vidisti ut hoc faceres?* Vertunt Lxx. τί ἐνιδὼν ἐποίησας τοῦτο. Idem fere Theodotio & Aquila, nisi quod verbum דבר minus perite λόγον reddiderunt. Miror neminem adhuc, quem viderim, de mendo suspicatum fuisse, cum tamen facile fuerit cognoscere pro רָאִיתָ scribendum fuisse יָרֵאתָ, ut hæc esset ejus loci sententia. *Quid timuisti ut hoc faceres?* Si cui forte hæc emendatio minus placeat, quod litera י suo loco moveatur, hic sciat urbem nescio quam, quæ Chr. vi. 68. יקמעם dicitur Josue xxi. 22. vocari קבצים.

Porro certum est codices hebraicos, quibus nunc utimur, ab iis esse nonnihil dissimiles, quos Græci interpretes adhibuerunt. Possem id pluri-

ribus argumentis confirmare, sed vereor ne otiosi hominis sit pugnare pro re de qua omnes inter se conveniunt. Nonnulla breviter attingam.

Ex. XII. 41. hæc habentur in hebraicis codicibus, quibus nunc utimur. ויהי בעצם היום הזה יצאו כל צבאות יהוה מארץ מצרים: ליל שמרים הוא ליהוה h. e. *eodem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti. Nox ista est observabilis Domini.* Accipe græcam interptetationem: ἐξῆλθε *πᾶσα ἡ δύναμις κυρίου ἐκ γῆς Αἰγύπτου νυκτός. Προφυλακή ἐστι τῷ κυρίῳ*, &c. Videntur codicem adhibuisse, qui pro ליל habuerit הלילה, atque hoc modo interpunxerit יצאו כל צבאות יהוה מארץ מצרים הלילה: שמרים &c. Ita Exod. XXVIII. 15. ושש משזר תעשה אתו: רבוע יהיה כפול, Græci interpretes aliter interpungunt: *καὶ βύσσου κεκλωσμένης. Ποιήσεις αὐτὸ τετράγωνον: ἔσαι διπλοῦν*, &c.

XXIX. 20. ושחטת את האיל ולקחת מדמו ונתתה על תנוך אזן אהרן ועל תנוך אזן בניו הימנית ועל בהן ידם הימנית

הימנית ועל בהן רגלם הימנית וזרקת
את הדם על המזבח סביב. h. e. *Quem cum immolaveris, ſumes de ſanguine ejus, & pones ſuper extremum auriculæ dexteræ Aaron, & filiorum ejus, & ſuper pollices manus eorum & pedis dexteri, fundeſque ſanguinem ſuper altare per circuitum.* Excipe nunc Græcos interpretes, deinde cogita num fieri poſſit ut eodem codice uſi ſint. *Καὶ σφάξεις αὐτὸν, καὶ λήψῃ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, καὶ ἐπιθήσεις ἐπὶ τὸν λοβὸν τοῦ ὠτὸς Ἀαρὼν τοῦ δεξιοῦ, καὶ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς δεξιᾶς χειρὸς καὶ ἐπὶ τὸ ἄκρον τοῦ ποδὸς τοῦ δεξιοῦ, καὶ ἐπὶ τοὺς λοβοὺς τῶν ὤτων τῶν υἱῶν αὐτοῦ τῶν δεξιῶν, καὶ ἐπὶ τὰ ἄκρα τῶν χειρῶν αὐτῶν τῶν δεξιῶν, καὶ ἐπὶ τὰ ἄκρα τῶν ποδῶν αὐτῶν τῶν δεξιῶν.* Quæ ſequuntur in Cod. heb. & *infundes* &c. pertinent ad proximum verſiculum 21. *τὸ δὲ αἷμα τοῦ κριοῦ προσχεεῖς πρὸς τὸ θυσιαστήριον κύκλῳ.*

Vide cap. xx. 13. לא תרצח : לא תנאף : לא תגנב. Eadem prorſus apud Lxx. ſed hoc ordine leguntur. *Οὐ μοι-*

μοιχεύσεις. Ου κλέψεις. Ου φονεύσεις. Ita capit. XXI. 15. 16. 17. *Ος τύπτει πατέρα αὐτοῦ ἢ μητέρα αὐτοῦ, θανάτῳ θανατούσθω. Ο κακολογῶν πατέρα αὐτοῦ ἢ μητέρα αὐτοῦ, τελευτήσει θανάτῳ. Ος ἐὰν κλέψῃ τις τινὰ τῶν υἱῶν Ισραὴλ ϗ καταδυναστεύσας αὐτὸν ἀποδῶται, ϗ εὑρεθῇ ἐν αὐτῷ, θανάτῳ τελευτάτω.* In codice heb. postremo hoc versiculo transposito, ita legitur: ומכה אביו ואמו מות יומת: וגנב איש ומכרו ונמצא בידו מות יומת: ומקלל אביו ואמו מות יומת. Denique XXXIII. 2. *ϗ ἐκβαλεῖ τὸν Αμοῤῥαῖον, ϗ Χετταῖον ϗ Φερεζαῖον, ϗ Γεργεσαῖον, ϗ Ευαῖον, ϗ Ιεβουσαῖον, ϗ Χαναναῖον.* Alio ordine in cod. hebr. וגרשתי את הכנעני האמרי &c. Hactenus de codice hebraico; nunc de ipsis interpretibus dicendum aliquid est.

Horum quoque culpa, ut initio dixi, factum arbitror ut omnia sibi non omni ex parte respondeant. Nam interdum hoc sibi sumunt ut ad loca obscuriora explicanda quædam adjiciant arbitrio suo; interdum

dum cum ſententiam minus recte aſſequantur, multa reddunt non ſatis accurate. Id quamvis adeo certum ſit, ut probatione non egeat, tamen quod ſint qui aliter ſentiant, aliquot exemplis confirmabo. Ac prius quidem ſumam ex Geneſ. cap. iv. 8. ויאמר קין אל הבל אחיו ויהי בהיותם. Græci interpretes ita ſententiam explent; quæ mutila videtur: καὶ εἶπε Κάϊν πρὸς Αβελ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ: διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον. Sunt qui exiſtiment eadem hæc verba olim fuiſſe in codice hebraico, & ideo librariorum negligentiam accuſant, quod temere omiſerint. Ego vero nihil ibi deeſſe puto, nec ipſe, opinor, deeſſe putabis, cum ſcias, verbum אמר non tantum *loqui* ſignificare, ſed etiam *exponere*, *narrare*, *referre* &c. ut Ex. xix. 24. & alibi pluries. Accipe integram ejus loci ſententiam.

ויאמר יהוה אל קין למה חרה לך ולמה
נפלו פניך: הלוא אם תיטיב שאת ואם
לא תיטיב לפתח חטאת רבץ ואליך תשוקתו
ואתה תמשל בו: ויאמר קין אל הבל אחיו

ויהי

ויהי בהיותם בשדה ויקם קין אל הבל אחיו ויהרגהו. h. e. *Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua? nonne ſi bene egeris recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. Narravitque Cain ad Abel fratrem ſuum. Cumque eſſent in agro conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Aut ego nihil video, aut verba illa *διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον* inconſulto a græcis interpretibus adjecta ſunt. Tu vero, inquies, vide ne quid nimis fidenter: ſiquidem eadem illa habet etiam codex Samariticus. De codice Samaritico alias videbimus. Nunc ſcito non jam cum illo græcam interptetationem, ut aliqui credunt, ſed illum potius cum græca interpretatione conſentire. Clarius dicam. Quemadmodum D. Hieronymus latinam interpretationem cum hebræo codice contulit, ita non defuit qui codicem Samariticum cum Græca interpretatio-

tione conferret, quæ & communi uſu probatiſſima eſſet & ab ipſis Hebræis exemplaris loco haberetur. Si quid ergo explicandi cauſſa a Græcis interpretibus additum eſt, id collator Samariticus, quicumque fuerit, recepit. Non omnibus quidem hæc opinio probabitur, ſed tamen fortaſſe non deerunt quibus probetur. Quid enim ſi qua ſententia interdum expletur, quæ ex hebraici ſermonis conſuetudine per Ellipſin expreſſa eſt? Certe expletur Exod. cap. XXXII. 32. ubi hæc Moyſes ad Deum: ועתה אם תשא חטאתם ואם אין מחני נא מספרך אשר כתבת. h.e. *& nunc ſi auferes peccatum eorum; & ſi non, dele me nunc de libro, quem ſcripſiſti.* Græci interpretes: καὶ νῦν εἰ μὲν ἀφεῖς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν αὐτῶν, ἄφες· εἰ δὲ μὴ &c. Ita etiam in cod. Samaritico: ועתה אם תשא חטאתם שא &c. Quid ſi interdum codex Samariticus in eo laborat, in quo Græca interpretatio defendi non poteſt? Ex. XIII. 6. Ἓξ ἡμέρας ἔδεσθε ἄζυμα, τῇ

δὲ

δὲ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ ἑορτὴ κυρίου. h. e. *Sex diebus vesceris azymis, & in die septimo erit solemnitas Domini*. Aliter in cod. hebr. שבעת ימים &c. & quidem recte; nam festum azymorum septem diebus constabat. Ezech. XLV. 21. שבעית ימים מצות יאכל. h. e. *septem diebus azyma comedentur*. Nihilo tamen minus codex Samariticus habet ששת ימים. h. e. ἓξ ἡμέρας. Pariter Exod. XXV. 9. καὶ ποιήσεις μοι κατὰ πάντα ὅσα σοι δεικνύω ἐν τῷ ὄρει. Eadem prorsus in codice Samaritico: ככל אשר אני מראה אתך בהר. Verbum בהר deest in hebraico, sed quis non videt sine hoc sententiam perspicuam esse, ac per se stare posse? Reliqua persequamur.

Ex. XXIII. 31. Καὶ θήσω τὰ ὅριά σου ἀπὸ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, ἕως τῆς θαλάσσης τῆς φυλιστιείμ, καὶ ἀπὸ τῆς ἐρήμου, ἕως τοῦ μεγάλου ποταμοῦ Εὐφράτου. In cod. heb. habetur tantum עד הנהר, usque ad flumen, *Euphratis* nomen, & *magni* ἐπίθετον omittuntur: nimirum Euphrates, ac Ti-

gris

gris ab hebræis per antonomasiam *flumina* dicebantur, ut Gen. II. 10. Itaque nihil addendum fuit. Non idem græcis interpretibus licuit, qui civitates & flumina propriis nominibus appellabant.

Xxv. 10. *ϗ ποιήσεις κιβωτὸν μαρτυρίου ἐκ ξύλων ἀσήπτων*. In cod. heb. deest *μαρτυρίου*, sed tu vides cur desit: xxxiv. 10. ויאמר הנה אנכי. Pluribus Græci interpretes: *ϗ εἶπε κύριος πρὸς Μωυσῆν, Ἰδοὺ ἐγώ* &c. xxiv. 10. ויראו את אלהי ישראל. Item pluribus: *ϗ εἶδον τὸν τόπον οὗ εἱστήκει ὁ θεὸς τοῦ Ἰσραήλ*. Cur his duobus in locis aliquid addiderint vides: nempe non alia de caussa, quam ut sententia clarior sit.

Quid quod interdum non tam fideles interpretes haberi volunt, ut ne verbum quidem immutent? Audi hæc. xxi. 26. *Ἐὰν δέ τις παπάξῃ τὸν ὀφθαλμὸν τοῦ οἰκέτου αὐτοῦ, ἢ τὸν ὀφθαλμὸν τῆς θεραπαίνης αὐτοῦ, ϗ ἐκτυφλώσῃ* &c. In cod. heb. ושחתה. Verbum שחת significat *corrumpere*, *perdere*,

delere, ut in Lexico Pagninus monet; ibi autem ſumitur a Lxx. pro *excæcare*, quoniam oculorum ſermo eſt. Sunt etiam quidam loci in quibus apparet eoſdem non tam de ſingulis verbis, quam de tota ſententia fuiſſe ſollicitos.

Ex. xxv. 35. וכפתר תחת שני הקנים ממנה וכפתר תחת שני הקנים ממנה וכפתר תחת שני הקנים ממנה h. e. *& sphærula ſub duobus calamis ex eo prodeuntibus, & sphærula ſub duobus calamis ex eo prodeuntibus, & ſphærula ſub duobus calamis ex eo prodeuntibus*. Paucioribus Græci interpretes: Ο σφαιρωτὴρ ὑπὸ τοὺς δύο καλαμίσκους ἐξ αὐτῆς· καὶ σφαιρωτὴρ ὑπὸ τοὺς τέσαρας καλαμίσκους ἐξ αὐτῆς. Sententia eadem eſt, ſed ut vides, verba verbis non reſpondent.

Gen. L. 3. כי כן ימלאו ימי החנטים h. e. *tot enim dies expleri ſolent, ex quo aliquis opobalſamo illinitus eſt*. Satis fuit græcis interpretibus ſententiam reddere: οὕτω γὰρ καταριθμοῦνται αἱ ἡμέραι τῆς ταφῆς. Liceat mihi,

præ-

præter institutum, etiam e Psalmis exemplum petere. Ps. LXXI. 14. Ἐκ τόκου καὶ ἐξ ἀδικίας λυτρώσεται τὰς ψυχὰς αὐτῶν. h. e. *ab usura & iniquitate redimet animas eorum*. In cod. hebr. מתוך ומחמס &c. idest, *a fraude & a nequitia*. Facile apparet cur verbum verbo non reddiderint. Nempe ibi de paupere Propheta loquitur, quem Deo curæ esse dicit, atque ideo non commissurum, ut ab ullo per fraudem opprimatur. Itaque græci interpretes id genus fraudis designarunt, quo frequentius cum egentibus male agebatur. Non dubito quin ipse quoque ita rem expedias in aureo libello *De fructuosa collocatione pecuniæ*, qui propediem exibit. Dici vix potest quam avide ab iis omnibus expectetur, qui studio veritatis, non partium moventur. Ego quidem de illo cum iis sermonem habui, quibus prius quam prælo committeres, legendum tradidisti, cumque id unum agant ut veterem disciplinam custodiant, nullum inveni, qui tecum pla-

ne non ſentiat. Si qui tamen obtrectatores erunt, ut certe erunt, meaque opera uti volueris, tecum libentiſſime vires conjungam. Nihil enim audio in eo reperiri, quod cum ſana rectaque Eccleſiæ doctrina minus conſentiat. Habebis militem gregarium, ſed magni animi & levibus præliis nonnihil exercitatum. Verum hæc obiter.

Ex. I. 16. בילדכן את העבריות וראיתן על האבנים. h. e. *cum hebræorum feminis obſtetrices aderitis, & videbitis earum vulvas* &c. Græci magis verecunde: *κ̀ ὦσι πρὸς τὸ τίκτειν*. Iidem XXXIII. 5. *νῦν ȣ̃ν ἀφέλεσθε τὰς ϛολὰς τῶν δοξῶν ὑμῶν, κ̀ τὸν κόσμον*. Pluribus explicant hebraicum verbum עדיך. Quam multa quam paucis? ſed novi cui ſcribam. Ne illud quidem prætermittendum eſt, quod haud ſatis ſcio an alius animadverterit. Quotieſcumque in S. Scriptura eadem res dicitur duobus in locis, iiſdem verbis a græcis interpretibus dicitur utrobique. Niſi forte hoc magis vi-

de-

detur ex hebræi ſermonis natura atque ingenio. Ex. xxi. 36. Ἐὰν δὲ γνωρίζηται ὁ ταῦρος ὅτι κερατιστής ἐστι πρὸ τῆς χθὲς καὶ πρὸ τῆς τρίτης ἡμέρας, καὶ διαμεμαρτυρημένοι ὦσι τῷ κυρίῳ αὐτοῦ. Poſtrema hæc verba deſunt in cod. hebr. quæ tamen habentur paulo ante verſ. 29. והועד בבעליו.

Viii.16. καὶ ἔσονται σκνῖφες ἔν τε τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἐν τοῖς τετράποσι, καὶ ἐν πάσῃ γῇ Αἰγύπτου. Verba hæc, ſi heb. cod. conſulas, fruſtra quæres in hoc verſiculo; ea tamen habentur in ſequenti.

Xxiv. 3. πάντας τοὺς λόγους οὓς ἐλάλησε κύριος, ποιήσομεν, καὶ ἀκουσόμεθα. Deeſt in cod. hebraico ונשמע, quod legitur verſ. 7.

Xxii. 14. Καὶ συντριβῇ ἢ ἀποθάνῃ ἢ αἰχμάλωτον γένηται. Hebraica verba או נשבה reperiuntur verſ. 10.

X. 13. Καὶ ἐπῆρε Μωυσῆς τὴν ῥάβδον εἰς τὸν οὐρανόν. In cod. hebr. *Et extendit Moyſes virgam ſuper terram Ægypti*. Videntur reſpexiſſe ad verſ. 21. & 22. in quibus Deus ad Moyſem:

נטה ידך על השמים. Xii. 10. Οὐκ ἀπολείψεται ἀπ' αὐτοῦ ἕως πρωΐ, καὶ ὀστοῦν οὐ συντρίψετε ἀπ' αὐτοῦ. In cod. hebr. ולא תותירו ממנו עד בקר: altera hujus versiculi pars habetur ejusdem capitis vers. 46.

Xi. 3. Κύριος δὲ ἔδωκε τὴν χάριν τοῦ λαοῦ αὐτοῦ ἐναντίον τῶν Αἰγυπτίων, καὶ ἔχρησαν αὐτοῖς. Deest in cod. hebr. וישאלום, quod tamen legitur cap. xii. 36.

Plura exempla afferre volui, ne quisquam de codicis hebraici fide dubitare possit. Nam quis umquam sibi persuadebit, modo sit sanæ mentis, tot in locis ac tam variis mendosum esse? Non ante Græcos interpretes bona cum venia dimittam, quam te admoneam quædam esse in quibus videri possunt pro humani ingenii infirmitate hallucinati esse. Ex. gr. Gen. cap. xlix. 14. pro חמור legerunt חמר. Ecce tibi integra ejus loci sententia. ישׂשכר חמור גרם רבץ בין המשפתים. Reddiderunt: Ἰσσάχαρ τὸ καλὸν ἐπεθύμησεν, sed minus recte; nam

nam quid sibi volunt ea quæ sequuntur *cubans inter duas sarcinas*? Aut ego vehementer fallor, aut allegoria ubique servanda est. Quod alicui fortasse permirum videbitur, numquam fere in S. Scriptura occurrit hoc vocabulum חמור, *asinus*, quin aliter legant, ut pene videantur cum animali patientissimo inimicitias suscepisse. Ut cetera omittam, vide cap. Num. XVI. 28. ubi cum habeatur in cod. hebr. *Non asinum unum ab iis accepi*, ipsi verterunt: *nihil desiderabile ab iis accepi*. Facile est cognoscere pro חמור legisse חָמוּד, de quo ineptus fuerim si te admoneam.

Ex. VI. 6. לכן אמר לבני ישראל אני יהוה h. e. *ideo dic filiis Israelis: ego Dominus*. Habent LXX. interpretes. βάδιζε, εἶπον τοῖς υἱοῖς Ισραὴλ, ἐγὼ κύριος. Apparet pro לָכֵן legisse לֵךְ, quod quidem ferri posset, nisi לכן magis ad ejus loci sententiam faceret.

Gen. XLIX. 27, Βενιαμὶν λύκος ἅρ-

πάξ τὸ πρωϊνὸν ἔδεται ἔτι. Quamvis עד apud hebræos tam *adhuc*, quam *prædam* ſignificet, ibi tamen prior ſignificatio locum habere non poteſt: nam additur ולערב יחלק שלל, *& veſpere dividet ſpolia*. Vertunt LXX. καὶ εἰς τὸ ἑσπέρας δίδωσι τροφὴν, quod ne ſatis quidem intelligo. Similiter Exod. XII. 22. Καὶ βάψαντες ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ παρὰ τὴν θύραν. Recte, ſi ſpectes vim unius vocabuli סף, ſed minus recte, ſi ſententiam totam perſpicias. סף ibi accipi debet pro *pelvi*, ſeu *cyatho*, ut apud Jerem. XXV. 4. & Samuel. lib. II. capit. XVII. D. Hieronymus vertit: *& intingetis in ſanguine, qui eſt in limine*, græcos interpretes ſequutus.

Gen. L. 16. ויצוו אל יוסף לאמר. h. e. *& juſſerunt Joſepho nuntiari*. Quid græci interpretes? καὶ παραγενόμενοι πρὸς Ἰωσὴφ εἶπαν. Ne ipſi quidem, opinor, lectionem hanc tueri poſſent. Sequitur enim paulo poſt καὶ ἐλθόντες πρὸς αὐτὸν &c. quod ſane ineptum eſſet.

Ex. V. 9. καὶ μεριμνάτωσαν ταῦτα,

καὶ

κὴ μὴ μεριμνάτωσαν ἐν λόγοις κενοῖς. Aliter habet codex hebraicus: ויעשו בה ואל ישעו בדברי שקר. h. e. *opprimantur operibus & expleant ea, ut non acquiescant verbis mendacibus.* Legerunt יִשְׁעוּ pro יַעֲשׂוּ decepti vocis similitudine. Præterea cap. VIII. vocem נביא reddiderunt Prophetam, quamvis ibi sumi debeat pro interprete. Ea tamen, ne quidquam dissimulem, utrumque significat, ut aliæ nonnullæ, quarum significatio dubia est atque incerta & plerumque a cujusvis arbitrio pendet. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, vides aliqua esse quæ facili negotio componi possint, ubi illud statuas neque codicem hebraicum sine mendis ad nos pervenire potuisse, neque plus a græcis interpretibus petendum esse, quam peti ab hominibus debeat. Sed quemadmodum codex hebraicus aliquibus in locis mendosus est, ita græca interpretatio τῶν ἑβδομήκοντα suos patitur manes. Nihil temere dico. Vide

de cap. Exod. XXII. verſ. 13. Ἐὰν δὲ θηριάλωτον γένηται ἄξει αὐτὸν ἐπὶ τὴν θύραν. Hoc modo legiſſe videtur quicumque ille fuerit, qui hæc ita latine reddidit: *ſi autem a beſtia captum fuerit, ducet illum ad oſtium*, ſed minus perite, cum pro θύραν *oſtium* legendum fuerit θήραν, h. e. prædam, quod reſpondet hebraico vocabulo הַטְּרֵפָה.

Vid. Transl. Roman.

XXIII. 5. Ὁρᾶτε μὴ πλήγην ἄλλην ἐπάξω ἐγὼ ἐφ' ὑμᾶς. Confer cum cod. heb. רגע אחד אעלה בקרבך. Quid ſimile? Suſpicor legendum eſſe ὥρᾳ τῇ μιᾷ &c. quod tamen haud ſcio an ſatis recte.

XXIV. 2. Ὁ δὲ λαὸς ὀ συναναβήσεται μετ' αὐτῶν: lege μετ' αὐτοῦ; ut eſt in cod. hebr. Niſi ita legas, ſententia impeditiſſima eſt, quod ut clarum fiat integrum locum deſcribam. Καὶ ἐγγιεῖ Μωυσῆς μόνος πρὸς τὸν θεὸν, αὐτοὶ δὲ οὐκ ἐγγιοῦσιν, ὁ δὲ λαὸς ὀ συναναβήσεται μετ' αὐτῶν.

XXXII. 18. אין קול ענות גבורה ואין קול

קול ענות חלושה קול ענות אנכי שמע h. e. *non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio*. Græci interpretes: Οὐκ ἔςι φωνὴ ἐξαρχόντων κατ᾽ ἰσχὺν οὐδὲ φωνὴ ἐξαρχόντων τροπῆς, ἀλλὰ φωνὴν ἐξαρχόντων ὄινου ἐγὼ ἀκούω. Mirum quam parum antiquæ interpretationes secum aliquando consentiant. Syriaca habet *vocem peccati*, Chaldæa *vocem ludentium*, Arabica *vocem tumultus*. Quid ergo? non id mihi sumo ut hæc simul conciliare possim. Si tamen quæris de græca interpretatione, leve in ea mendum latet, ac ἄινου pro ὄινου fortasse legendum est, nec audiendus Vossius qui contra hebraici exemplaris fidem vulgatam lectionem tuetur. Obiter moneo Syrum interpretem sive suo, sive codicis vitio pro ענות legisse עונות, de quo vix est cur dubitari possit. Hic tu me rides adolescentem valde pusillum, qui nimia quadam otii abundantia hæc leviuscula attu-

le-

lerim. Rideas licet, dummodo illud tecum reputes quid ætate hac tam infirma præſtare poſſim, deinde cogites ſæpe e rebus parvis de maximis conjecturam fieri. Ceterum multa etiam, quæ non attigi, facile expediuntur, ſi quod ego initio poſui firmiſſime teneas. Statim opponis difficultates, quæ ex diverſa hebraici exemplaris & græcorum interpretum chronologia naſcuntur. Non deſunt qui has quoque facillime tolli poſse contendant, ſed ego poſtulo cum Stoicis ut excipiantur. Non is ego ſum qui me tantulo ingenio omnia aſſequi poſse putem. Ille inter homines ſapiens eſt qui aliqua novit, ſapientior qui plura, denique ſapientiſſimus qui hoc præterea novit, plurima eſse, quæ humanam aciem effugiant, & nihil audet ſupra vires. Vale. Patavio. Pride Calend. Sextil. MDCCXLIIII.